Porrè legit micas è mensâ pauperis lapsas,
Quàm pascit parcâ sobria mensa gulâ?
Heus, vbi Galle lates? deformia corpora monstri
Cerne, tuis qualis sedibus Hospes adest.
Panis habes aliquid? mendicus ad ostia frendit
Vrsus, hic est clamor nempe rogantis opem,
Audit, et attonito circumspicit omnia vultu
Gallus, vbi rigidam cernit adesse feram,
Intrepidus dulci sic edit carmine voces:
I, fer languenti bellua ligna foco.
Bellua quid faciat? suspensis auribus adstat
Ante senem, raucos mittit àb ore sonos,
Sive recusantis, seu vox est ista volentis?
Hoc scio, quondam index ipsa furoris erat,
Ergo suam rursum naturam coget in iram
Vrsus, et in strages officiosus erit?
Non ita, sed vox est Vrsi parere volentis,
Nimirum faciam quod pie Galle iubes,
Ipsa sui Domini cognoscit bellua mentem,
Quod poscit, quod ait, quod iubet ille, facit,